



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XXVII. De summo dolore, quo anima Dei amatrix conficitur, dum sua adversus illum malefacta recogitat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

Stud. Perf. c. 32.) Verum has, similisque alias praxes suas unicuique erga DEUM amor melius suggerit, qui si desit, parvo usui est externa institutio: ast ubi in anima viget, eam cessare non patitur, sed acutissimi stimuli instar ad quasvis divinæ gloriæ procurandæ artes, & solerter inveniendas, & strenuè usurpandas impellit.

CAPUT XXVII.

De summo dolore, quo anima DEI amatrix conficitur, dum sua adversus eum malefacta recogitat.



AT quid dicemus de sensu, quem amor divinus in anima excitare consuevit, cum in memoriam ei revocat, quam indignè ipsa quoque cum cælesti suo Domino egerit: impudentissimam nimirum audaciam, quo toties illius leges violarit, ab illius imperio defecit, illius amicitix nuntium remisit, eum floccifecit, & vel infimo cuivis bono posthabuit? Quantum horroris, hæc tecum reputans, concipit? Quantum sibi ipsi de tam incredibili

li temeritate sua irascitur? Quantum obstupescit, quòd ità omne jus, & fas oblivisci, ità prorsus desciscere à bona mente, & ratione potuerit? Quo angore cor sibi præfocari, qua verecundia os confundi experitur? Quis ejus pœnitentiam, ejus lacrymas, ejus gemitus sat possit exprimere? Hic certè est dolor, omnem alium exuperans: hoc malum, præ quo aliud quodvis ei lusus videtur. Si aliquem lamentari, & lugere ob rei familiaris, vel terreni alterius boni jacturam videat; ah querelas, luctusque, ait, rationis expertes! Tantillumne igitur mali tantam afferre animo ægritudinem valeat? Mihi, mihi isthæc lamenta, mihi istos luctus relinqui par est, cui tantò justius conveniunt. Nescit, quò solatii causâ se vertat. Quasunque res creatas aspexerit, omnes illi videntur adversum se iratæ, omnes sui conspectum averfari, omnes ultionem de se poscere, omnes sua sibi exprobrare flagitia, infestis vocibus clamitantes: en portentum malitiæ! en cæli, terræque odium! en communi omnium Domino perfidam, contumeliosam, rebellem! Quid plura? DEUS ipse, qui aliàs unica erat ipsius gaudii materies, unicum ærumnarum, ac mœrorum solamen; objectum nunc est, quod

plùs omnibus cæteris, imò unum ex omnibus eam discruciat, *replet amaritudinibus, inebriat absynthio, circumdat felle, & labore, ponit desolatam, tota die mærore confectam.* (Thy. Jer. c. 1. & 3.) In summa, hæc recordatio cordi ejus est, quasi ignis, illud absumens, quasi mucro illud transverberans, quasi malleus assiduis illud, & gravissimis ictibus conterens.

2. Et revera nimis, quàm justa illi ratio est sic dolendi: imò quantumcunque intendatur, & fiat *magna, velut mare, contritio ejus*; nunquam esse talis poterit, quin sinè ulla comparatione majorem mereatur vel unica DEI offensa. Cùm enim ratio exigat, ut tantò vehementior sit admissorum criminum dolor, quantò major est eorundem improbitas, & tantò hæc semper major sit; quantò amplior illius, contra quem committuntur, dignitas est; planissimè apparet, neque crimini secundum malitiam infinito ullum parem esse, qui finitus sit dolor; neque minorem infinita esse posse malitiam criminis, quo Dominus infinitæ dignitatis offenditur. At nòne talis est DEUS, quem peccando nos offendimus? Metiamur, age, quantum curto, ac debili nostro intellectui fas est, singulare, admirandumque illius esse: Esse sinè causa, à qua pro-
crea-

creatum fit : finè principio , in quo cœperit :
finè termino , in quo possit desinere. Esse ,
quod spirituali , & indivisa sua magnitudine
creata quævis spatia transgreditur , in simpli-
cissima sua unitate possibilia quævis bona in-
star unius colligit : necessaria , & nunquam
non præsentis sua scientia , quidquid veri est ,
supercomprehendit : Esse prorsus nescium si-
ve incrementi , quia possidet , quæcunque de-
siderari possunt ; sive diminutionis , quia ni-
hil possidet , quod non idem omnino secum
sit : Esse non modò optimum , sed & ipsamet
bonitas : non modò pulcherrimum , sed & ip-
samet pulchritudo ; non modò perfectissimum ,
sed & ipsamet omnifaria perfectio : Esse , quod
primum principium , ac supremus omnium
extra se existentium est finis , omniæque illa
tam plenè , & absolutè subiecta sibi habet , ut
finè ipsius nutu subsistere , ac moveri penitè
nequeant : Esse postremò , omnem adeò men-
suram , & normam excedens , ut tota hæc
mundi moles ex tam multis , tamque eximiis ,
& variis naturis coagmentata , non plùs , quàm
infinita pars illius magnitudinis , non plùs ,
quàm exilis , rudisque umbra illius perfectio-
nis , & pulchritudinis sit : longè minor præ
illo , & contemptior , quàm præ ipsa existi-

mari pulveris granum, vel atomus queat: unde ipsam in obsequium, horrorémque illius omnino dissolvi multò minus quid foret, quàm pro universæ ipsius emolumento atomum, vel pulvisculum destrui. Quidnam, quæso, de tanto Domino dicimus? Quidnam de incomparabili adeò majestate nobis videtur? Ullané tam profunda veneratio, ullané tam humilis servitus exhiberi à nobis ei potest, quin jure optimo illi debeatur, inò etiã longissimè infra illius meritum sit? Nihil fanè præ infinitate hujus esset, omne nostrum ævum, quavis alia occupatione dimissa, in eo jugiter à manè usque ad vesperum adorando consumere, nihil vitam pro eo millies profundere, nihil honoris ejus gratiã usquequaque absumi, & in nihilum redigi.

3. Adde jam huic infinito excellentiæ merito alterum, longè quoque humana omni æstimatione superius, incomparabilem scilicet illius bonitatem, quæ ex ultroneo communicandi se instinctu amoris significationes erga nos edidit prorsus inauditas, à nullo unquam homine alteri exhibitas, quãsq; non modò nunquam nobis venisset in mentem ab eo postulare; sed neque credidissimus possibile. Siquidem, ut omittam in præsens na-
ti-

tivum nostrum Esse, liberalitate penitus gratuita ab eo nobis donatum, neque semel duntaxat donatum, sed toties, quot sunt momenta, in quibus conservare, hoc est rursus, atque rursus nobis impertiri illud pergit: ut hoc, inquam, excellentissimum quidem, sed naturale beneficium sileam, dignatus est præterea nos humiles terræ filios è servili nostra conditione ad eminentissimam suorum amicorum dignitatem evehere, in filios adoptare. inque sui regni, suæ gloriæ, & suæ beatitudinis hæreditatem adsciscere. Imò, ut tam singularium suorum munerū possessionem primi parentis scelere amissam nobis recuperaret; non dubitavit, tantus ille DEUS nostram mortalitatem induere, quod nostri gratiâ humanum corpus assumpserat, ineffabili ratione nobis edendum præbere, inque crucis patibulo ignominiosissimam juxta, & dirissimam pro salute nostra necem subire: Charitatis prodigia, quæ si maximam mererentur admirationem, nullamque non à nobis grati animi vicem exigent, vel à mortali quavis persona erga nos edita; quàm supra omnem admirationem videri debent, & quantò majorem mutui amoris, atque officii exigendi vim habent ab infinitæ magnitudinis, potentia, &

ma

majestatis authore patrata? En igitur qualis, & quantâ dignus reverentia, tum propter exuperantissimam incomprehensibilis suæ essentia altitudinem, tum propter immensam prodigiosissimi sui amoris, & ineffabilis beneficentiæ suæ largitatem sit DEUS. Et tamen hunc naturâ adeò sublimem, tantæque erga nos benignitatis Dominum, cui æterna obligatione in extremum quodque obsequium eramus devincti, nec ulla erat servitus, ulla veneratio, ullum honoris, observantiæque, & cultûs vectigal, quo vel minimam ipsius meritorum, nostræque ipsi debitæ subjectio- nis partem adæquare possemus; nos lutei homunciones, infimique ejus servuli contra omnia officii, æquitatis, fidei, naturæque jura ausi sumus irritare, offendere, contumeliis afficere: neque id fortuito, pèrque imprudentiam, sed omnino advertentes, cùmque certo, ac deliberato voluntatis proposito: neque semel tantùm, aut bis, sed toties, ut numerum supputando inire non liceat. Quis, rogo, usquam alibi portentosam adeò, incredibilémque malitiam audivit? Aut quis summam ejus perversitatem satis mente assequi, & detestari pro merito queat? Nemo certè hominum, quando eorum itèm nemo est, qui in-

infinitam DEI indè offensi dignitatem satis intelligat. Quemadmodum hæc humanam omnem æstimationem transcendit; sic omni etiam nostrarum mentium æstimatione superior, nec ulli pro merito suo detestabilis divinæ offensæ indignitas est.

4. At si gravissima DEI offensi dignitatem spectantibus nostrorum criminum apparet malitia; saltèm spectata injuriæ qualitate existimari poterit. Minimè verò, quin potius nova hinc accedit ad intuendam ipsius gravitatem ratio, manifestus nimirum, & indignissimus DEI contemptus, qui in quovis lethali crimine includitur. Cùm, quisquis eorum quodpiam committit, præterquam quod justissimas supremi Domini leges, neglecta illius authoritate, indignatione, & vindicandi potentia transgreditur; ostendat flocci se illius amicitiam facere, nihil scilicet pensi habens hac excidere, dummodo suæ cupiditati indulgeat, & vili quapiam re terrena fruatur. Quod est ipsum infinitum bonum, rerumque omnium Conditorem illi rei posthabere, & implicite, atque æquivalenter dicere: video, Domine, à tua me amicitia, gratiæque dejectum iri, si huic cupiditati meæ obsequar. Sed parùm id refert: satiùs duco,
ge-

genium explere, quàm à te in amicorum numero haberi. Si tuum istud munus nequit cum peccato componi, habeas sanè tibi illud, aliisque impertiendum servato. Nam, quantum ad me attinet, non tanti illud æstimo, ut ejus causâ abstinendum mihi à peccati voluptatibus putem. Nemo certè non videt, quàm enormis, divinæque majestati injurius contemptus hujusmodi sit. Sed, quò adhuc clarior illius indignitas fiat, potentissimum esse Regem fingamus, nec imperii magis gloriâ, quàm formæ elegantiam, morum suavitate, aliisque cum corporis, tum animi prærogativis spectabilem, qui rusticanam puellam sibi matrimonio jungat, regalique diademate insigniat, à cunctis aulæ proceribus coli instar sui jubeat, nullisque non amoris intimi officiis prosequatur. Quid verò illam? Illam in gradu felicitatis constitutam, ad quem se aspiraturam nè per somnium quidem imaginata unquam fuisset, utpote amplissimi imperii reginam, & sponso conjunctam, quo nobiliorum alium, magisque vel amabilem, vel suam mantem reperire nusquam toto orbe terrarum posset; (mirum dictum!) adjicere oculos ad infimum quempiam è stabuli regii agaloniibus, homuncionem omni ex parte abjectissimam,

mum, pannosum, illuvie oblitum, graveo-
lentem, fœdis coopertum ulceribus, juxtâ-
que mentis fatuitate, & stupore, ac vultûs,
corporisque totius deformitate insignem,
quem nemo propterea, nedum sua familiari-
tate, & amicitia dignetur, sed nec intueri obi-
ter citra nauseam, & fastidium queat: ad hoc,
inquam, vilissimum caput adjicere oculos,
tantoque illius amore corripî, ut augusti sui
sponsi, omniumque illius decorum, & suæ ob
ejus connubium tam sublimis fortunæ in to-
tum oblita, pactam ipsi conjugalis thori fidem
abrumpat, suas ipsum sibi habere res jubeat,
& cum despiciatissimo illo, seque digno ama-
tio fugam capeat, malens cum hoc in squa-
lentis gurgustii sordibus, quàm in regalis suæ
aulæ magnificentia, & splendore vitam exi-
gere. Quæro jam, si hujusmodi facinus,
quod extra omnem veri similitudinem ad in-
solentissimæ, & incredibilis rei exemplum
commenti sumus, patrari re ipsa continge-
ret, nonne pro inaudito quodam perfidiæ
portento haberetur? Nonne omnes sponsam
illam ob flagitium tam immane execrarentur,
& inter ultima humanæ improbitatis exem-
pla reponendam cernerent? Nonne Rex spon-
sus præter omnem modum, & morem se ab
ea

ea læsum clamaret? Nónne justissimas ex-
 candescendi de tanto ejus scelere causas habe-
 ret? Quid enim? Itáne benignitati meæ re-
 spondetur? Itáne mea dignitas, & persona
 pro nihilo ducitur? En cui posthabeor? En
 præ quo deseror? Quis unquam id futurum,
 non dicam credere, sed vel suspicari potuis-
 set? Ah detestabile ingrati animi, & infideli-
 tatis monstrum! Cùm sexcentas eligere mi-
 hi possem multò digniores sponfas amoris
 exemplo, quod orbem universum sui admi-
 ratione complevit, te ignobilem ruris alum-
 nam iis omnibus prætuli, éque gentilitii tui
 luti humilitate ad mei thalami, soliique con-
 fortium evexi: adeò ut omnes tuam admira-
 rentur sortem, téque fortunatissimam fami-
 narum vocarent. Tu autem pro eo ut idem
 sentires, tantámque, & meam erga te bene-
 volentiam, & tuam indè felicitatem admira-
 reris; me fastidio habes, me refugis, me post-
 ponis: & cuinam, proh DEUM immortalem!
 Alteríne cuipiam Regi? Alicuíne ex primari-
 is mei regni proceribus? Pudor est vel cogi-
 tare, nedum proloqui. Postponis me mor-
 talium postremo, stabuli purgamento, vulgi
 propudio, vilitatis, & turpitudinis fœtui. Ah
 nulla est indignatio, nulla ultio, atque poena
 tan-

tanto facinori par. His ille tunc verbis conceptos animo iræ, ac doloris sensus declararet: neque ullus profectò esset, quin cum eo faceret, quin justissimè illum ità commoveri, & uxorem, à qua læsus tam turpiter fuerat, mille mortibus dignam censeret. Atqui talis res nostra est, nisi quod infinitè magis infra DEUM est qualecunque bonum creatum, quod nos peccando illi anteferimus; quàm infra potentissimum, nobilissimúmque illum Regem esset mediastinus à fœdifraga uxore ei prælatus. Quare, si gravissimam illi injuriam hæc faceret, posthabendo illum tali æmulo; quantò gravior, intolerabiliórque illa est dicenda, quam peccans DEO facit, dum eum creato bono postponit, níl dubitans, dummodo hoc fruatur, inquit cum eo amicitia fœdus violare, ipsique summo, & infinito bonorum omnium bono nuntium remittere? *Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israël? Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer. Numquid parva est fornicatio tua? in quo mundabo cor tuum, ait Dominus DEUS. (Jer. c. 18. & 2. Ezech. c. 16.)*

5. Níl esse videtur, quò ulterius progredi injuriæ hujus gravitas queat. Et tamen circumstantiæ loci, temporis, instrumentorum,

B b b

&

& causarum totidem novi ponderis quasi infinitates ei superaddunt, ut, si possibile id foret, plus etiam, quam infinite execrabilem reddant. Nam ordiendo considerationem à loco: ubinam peccans ita offendit suum Dominum? Nempe sub ipsismet illius oculis impudentia profecto, & temeritate omnino intolerabili, nec ab ullo homine præferri solita in agendo contra sui principis leges. Has enim si quis violare in mente habeat, locum semper quærit, in quo cerni ab eo minime possit, neque tam protervi unquam animi est, ut coram ipso id facere audeat: cum tamen peccans, esto compertissimum habeat, ubi vis se locorum à DEO ibi præsentem observari, & videri; nil vereatur contra illius iussa sub ipso illius conspectu agere. Quid deinde? quonam tempore id facit? Nimirum eo ipso, quo DEUS paterna benignitate, & providentia sustentare illum pergit, nè in nihilum recidat: tanquam si filius, dum parens sibi blanditur, seque amplexatur, & pectori amanter adstringit, illius vultum conspueret. Perge porro, quibus instrumentis ad facinus ejusmodi utitur? Quibus tandem, nisi oculis, manibus, linguâ, intellectu, voluntate, opibus, valedudine? At hosce oculos, has manus, hanc
lin-

linguam, hunc intellectum, hanc voluntatem, has opes, hanc valetudinem, undenam, nisi ex gratuito DEI munere habet? Et parum prægravari largitoris tam benevoli injurias hinc dixerimus, quòd per suamet dona ipsi fiant? Quidnam nobis videretur de milite, cui Rex gemmatum magni pretii ensen in monumentum sui amoris dedisset, si hunc ille vix acceptum in donantis jugulum verteret? Nonne illum abominaremur, ceu novum quoddam plùs quàm barbaræ, imò & plùs quàm ferinæ immanitatis prodigium? Itane ergo beneficiis abuti? Itane obligationi suæ satisfacere? si vulnera pro muneribus placebat reddere, alio saltèm ense usus esset. Nihil inhumanum est amorem odio rependere; quantò inhumanius ministram odii facere ipsammet materiem amoris? Sed enim pejus adhuc aliquid, magisque detestandum in nostra re occurrit. Peccans siquidem in DEI offensam convertit non facultates tantùm animæ, & corporis ab illius liberalitate acceptas; sed ipsam quoque DEI secum agentis virtutem, cujus auxilio operatur, & sinè qua operari nîl posset: cogens eum ità concurrere pro sua parte ad eas ipsas actiones, quibus offenditur: ceu si memoratus suprâ miles do-

natum à Rege sibi ensem illius dexteræ infere-
ret , & hanc ità armatam violento impulsu
contra ejusdem jugulum ageret : adeò ut is
non suo tantum ferro, sed sua etiam manu co-
geretur sibi vulnus infligere. De qua imma-
nitate , nunquam contra homines usurpari
solita , sed adversus se toties instaurata , quo-
ties peccatur , merito apud Isaiam queritur
DEUS , amarè exprobrans impio , (c. 43.)
*Servire me fecisti in peccatis tuis , præbuisi mihi
laborem in iniquitatibus tuis.* Postremò, quæ-
nam sunt causæ, cur offenditur DEUS ? Num
gravissimi alicujus mali, putà subeundæ mor-
tis timor ; vel oblata acquirendi regni amplif-
simi spes ? Si etiam tam valida eum offenden-
di incitamenta essent , infinita nihilominus
offensæ illius indignitas foret. Cùm enim
nullum bonum creatum tanti pretii esse pos-
sit , quin à DEO infinitè excedatur , nullum
quoque ipsi potest absque infinita ipsius inju-
ria præferri. Quidnam ergo dicendum erit,
quando (ceu plerumque usuvenit) bona ei
præferuntur, non solùm præ ipso infinitæ ma-
gnitudinis bono , sed præ aliis etiam finibus, &
mortalibus bonis exigua , plebeja , infimi pre-
tii , paucorum nempe numorum quæstus ,
imaginarii honoris vapor , vulgaris homin-
cu-

culi gratia, turpis, supervacua, & temporis momento evanescens voluptas: adeò ut nullo non die iterare possit, quas per Ezechielem gravissimas olim fudit querelas, (c. 13.) *Violabant me propter pugillum hordei, & fragmen panis.* O magne! ô summe! ô infinite universitatis totius Dominator! huccine igitur inestimabilem tuorum meritorum, excelsissimæq; Majestatis tuæ contemptus progreditur, ut nîl pensi homines habeant te tantum DEUM vel levissimis, ac vilissimis quibusque de causis offendere? Et ferunt id Angeli? Nec in fulmina cælum abit contra tantæ authoris injuriæ? Nec rerum omnium creaturarum universitas in tui honoris indignè adeò violati ultionem conjurat? Quid exhorrescimus de æternis sub orco peccantium suppliciiis? Exhorrescamus potiùs de incredibilem in terris adversùs DEUM protervia, & audacia. Nec ipse orcus, & tota illius cruciatuum æternitas sufficit hujusmodi malitiæ pro merito suo puniendæ.

6. Cùm ergo capitale quodvis crimen injuria DEI optimi maximi sit, nec qualiscunque illa quidem, sed, prout vidimus; omni ex parte gravissima, cùmque hinc legitimam nos ducere oporteat tum malitiæ, quæ in illo

continetur, tum abominationis, quæ illi debetur, mensuram; quoniam pacto fieri potest, ut, qui infinitam DEI amabilitatem probè intelligit, eumque quibuscunq; aliis bonis plus amat; memoriâ secum repetens, quoties tam indignè illum læserit, hanc suam temeritatem non perhorrescat, non totus indignatione, & verecundiâ æstuet, non intimo disrumpatur dolore, non se ipsum detestetur, atque oderit? De Adraſto Midæ nepote scriptum accepimus, (*Herod. L. 1.*) cum venationi dans operam Cræſi hospitis sui filium misſo in feram telo occidiſſet, ægre adeò infelicem caſum tuliffe, ut illata ſibi ultro nece eam ultus ſit, quam imprudens alteri intulerat: quem imitatus Romanus ille miles, qui in bellis civilibus interfectum à ſe adverſæ partis militem ſpolians, detractâque exanimi galeâ fratrem ſuum eſſe comperiens; atrocis ſpectaculi horrore confuſus, ſuperſtes illi eſſe noluit, ſed ferrum fraterno adhuc calens cruore ſua peniculis in viſcera demerſit. (*Val. Max. L. 5. c. 5*) Nec majorem vim habebit excitandi doloris in homine, qui DEUM quovis hospite, & fratre plus amet, tot injuriarum conſcientia, quibus eum non fortuito, perque errorem, ſed ſciens ultro, & volens

lens affecit? Mirum dictu est, quod de homicida quodam memini olim me legisse. (*Solt. in dir. L. 3. c. 4. Sect. 5.*) Impia pueri cæde hic manus polluerat, non tamen impunè: cæsi quippe umbra noctes, diésque obversari illius oculis videbatur, irata, & flebili voce ingeminans: *Quare me occidisti?* Nihil non tentatum à misero est, quò ferale spectrum à se abigeret. Ludis, conviviis, spectaculis, aliisque id genus oblectamentis avocare animum institit. Nequidquam: Vindex ubique aderat larva. Ad divinam justitiam jejuniis, aliisque corporis castigationibus placandam se vertit. Sed, ut aliarum veniam pœnarum impetrare poterit, hujus certè non potuit. Ad Monachorum cœnobium, & religiosæ vitæ professionem tanquam ad extremum quietis asylum confugit. Sed neque ibi à funesta illa imagine, odiosaque increpatione pacato esse licuit. Quoad demum, tam assiduam, molestamque insectationem ferre ultra non sustinens, ad judicum tribunal accusator idem, reusque adiit, & patratam à se olim cædem rite confessus, homicidarum pœnâ semel defungi, quàm perpetuò discruciarî maluit. Si ergo sui ille homicidii exprobrationem morte ipsa acerbiores putavit; quonam afficietur sensu,

fu, qui ex toto corde amat DEUM, ubi illum, talem suum Patrem, ac Dominum sibi repræsentet, toties juxta phrasim Apostoli à se crucifixum, quoties grave in eum crimen admisit; *rursus sibi met ipsi crucifigens Filium Dei:* (*Ad Hebr. 6.*) simulque exprobrantem sibi audiat: *Quare me occidisti?* Cur ea patrasti maleficia, quæ crucis supplicio mihi fuerunt luenda? Quæ ratio te impulit, ut tam perfidus, impiusque adversum me esses, ut tot contumeliis me afficeres, ut toties mortis mihi causam præberes? Prome, age, si quid habes, quòd huic valeas interrogationi reponere: *Quare me occidisti?*

7. Ah! gravissimum, intolerandumque hoc *quare* audiens, tanto sui, & suæ serò cognitæ improbitatis pudore obruitur, ut non audeat os ad cælum tollere, nec suum, quem indignè adeò læsit, Dominum intueri, imò neque ad ullam ex rebus creatis oculos flectere, omnes illas in supremo suo Conditorè à se offensas, sibi que iratas existimans, sed humi provolutus secum repetit: *Confusio operuit faciem meam. Non sum dignus videre altitudinem cæli præ multitudine iniquitatum mearum.* Ah! dolorem inde concipit tam acutum, tamque acerbum, ut, si tolerare in præsens cogere-

tur,

tur, quidquid extremorum cruciatuum infligi humano corpori potest; ex nulla eorum atrocitate tantum hauriret tristitiæ, quantum vel ex uno haurit crimine, quo se graviter DEUM offendisse meminit, tanquam de malo extrinsecus saltè divino, quòdque hac de causâ aliis ille omnibus, quâ suis, quâ cæterorum hominum malis longè horribilius, magisque averfandum, & lugendum existimat. Atque hinc fit, ut quovis bono arbitretur se indignum; indignum, quem terra sustineat, indignum, à quo aër attrahi se sinat, indignum, cui sol suam lucem impertiat, indignum, cujus præsentiam, & consuetudinem homines ferant, nec potiùs cum nausea, & abominatione procul à se abigant, veluti pestifera lue infectum, veluti proditorem, parricidam, & alio quovis extremo dedecore infamem, veluti orco emissum sub imagine hominis dæmonem: contrà verò fateatur, nihil non sibi despectûs, nihil non contumeliarum, & opprobriorum deberi: neque idcirco tanquam de illata sibi injuria expostulare unquam audeat, tametsi obviorum quisque fœdissimis eum conviciis oneret, imò etiam conspuat, ac pedibus proculcet: sed inter hæc, atque alia similia probra mitiùs secum agi, quam

quàm pro improbitate sua, putet, dicens intrà se ipsum: & quidnam hæc sunt ad ea, quæ meis facinoribus merui? Alia, alia gravioris multò infamiæ opprobria, & dedecora ei convenirent, qui læsæ Majestatis divinæ reus est, nec parvum æstimare lucrum debet, quòd non jam dudum inter orci mancipia sub dæmonum pedibus sit. *Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi.* (*Job. 33.*) Hinc etiam fit, ut ipsismet brutis, & ratione vacuis rebus se subjiciat, tanquam divinæ à se irritatæ justitiæ ministris, humilique cum patientia excipiat, quidquid sibi molestiæ, & incommodi ab iis inferatur, ut v. g. si imbres se humectent, si aër nimio æstu, vel frigore affligat, si culices, muscæ, aliæque id genus bestiolæ importunis moribus vellicent: omnes earum infestationes pro justissimis habens, dicensque illis, jure quidem, ô elementa, atque animalia eum insectamini, qui tam indignè maximum vestrum Conditorum, ac Dominum læsit. Laudo vestram hanc in illius vindicandis injuriis fidelitatem, justoque ab exemplo discam ego quoque, non inultum finire hoc ei rebelles, ac perfidum caput. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* (*Mich. c. 7.*) Hinc demum provenit, ut novum quemdam
spi.

spiritum sancti adversum se odii concipiat : intuens se ipsum tanquam contumeliosum, & perduellem cælesti suo Domino, ac proinde tanquam hostem, cui nunquam placari, neque indulgere debeat, sed potius in omnibus contradicere, & ubique adversari.

8. Testis prædictorum sensuum sit sanctus Rex David, nullum finem faciens respiciendi, & deslendi injurias divinæ Majestati peccando à se illatas, ut Psalmo 50. scripserit: *Peccatum meum contra me est semper*, & alibi profiteatur, (Ps. 6.) *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Testis B. Franciscus Borgia, (*Cepar. in Comp. vit.*) solitus duabus quotidie horis coram DEO, & creatis rebus omnibus suorum criminum causâ se deprimere. Qua ex praxi eam vilitatis suæ speciem mente hauserat, & assiduè præsentem retinebat, ut nihil tam incommodi, abjectique sibi contingeret, quin melius, quàm pro suo merito secum agi putaret, uti non semel palàm fecit; & tunc præsertim, cùm nocte quadam à cubiculi socio, tussi laborante, séque per tenebras excreare aliorsum censente, sputis fœdè coopertus, eidem ubi rem manè animadvertit, pudore confuso, nocturnæque imprudentiæ

veniam poscenti, bono sis animo, inquit: nullus quippe toto in conclavi angulus erat me vilior, quique hasce sordes posset convenientius excipere. Testis, famosa prius flagitiis, mox pœnitentiâ flagitiorum Thais: (*Ap. Rodr. 1. p. tr. 5. c. 19.*) quæ pristinam conscientiæ suæ foeditatem cum altissima animi demissione recogitans, nunquam ausa est, quamdiu post conversionem vixit, sanctissimū DEI nomen ore proferre, aliave interorandum, nisi hac precationis formula uti: *Qui me plasmasti, miserere mei.* Testis ille alter apud Cantipratanum, (*L. 2. Ap. c. 51. p. 7.*) qui post vitam diu malè actam tanta cum illius detestatione ad sacram exomologesim accessit, ut audiens à Confessario septem sibi pro admittis criminibus pœnitentiæ annos injungi, non sinè magno fletu exclamârit: quid hoc, DEUS bone, rei est? Itâne tantillum piaculi ab homine exigere, qui si ad extremi usque iudicii diem viveret, haud satis spatii haberet ad pares solvendas pro tot, tamque enormibus peccatis suis pœnas? Quos admirationis sensus paulò post vehementius expressit, cum Sacramenti minister tanta illius doloris magnitudine perspecta priorem septem annorum multam ad triduanum contra-

traxisset, mero pane, & simplici aqua tolerandum jejunium, donec Confessario tantò semper minus satisfactionis ab eo reposcendum existimante, quantò hanc ille majorem à se debere profitebatur, & tantò rursus magis crescente in eo pia contra se ipsum ira, quantò majorem in altero erga se indulgentiã cernebat, cùm ad extremum nihil ultrà sibi pœnæ irrogari audisset, quàm recitationem Orationis Dominicæ, nimiam affectûs sui vim ferre amplius nequirit, sed supremum ibi spiritum sacri doloris victima effudit. Testis demum universus ille pœnitentium Monachorum grex, qui in celebri carceris nomine nuncupato asceterio vivebat: si vivere tamen dicendum est, omnibus vitæ humanæ solatiis carere, intèrque gravissimos quæ corporis cruciatus, quæ animi angores continenter tabescere. Et talem profectò fuisse ibi commorantium vitam luculenter ostendit longa, & feralis ejus descriptio à Joanne Climaco posteritati relicta. Qui præsens contemplatus pœnale id ergastulum, *Concurrite*, exclamat, & *accedite*, & *narrabo vobis omnes, qui DEUM irritastis. Congregamini, & videte, quanta ostendit DEUS ad adificationem animæ meæ.* Tum enarratis, quæ illic observârat, inusitata,

tæ,

tæ, miræque pœnitentiæ exemplis, subjungit, post mensem eo loci traductum, non potuisse diutiùs se ferre objectorum tam tristium speciem, sed reversum indè esse adeò perturbatum, atque attonitum, ut animi horror in extrema quoque vultûs mutatione appareret. (*Grad. 5.*)

9. En igitur, pie Lector, quosnam, si DEUM toto pectore amas, tuos sensus, affectûsque esse deceat super noxis; quibus divinam illius Majestatem læfisti. Non ità quidem, ut in iis assiduè, unicéque occupare te animum velim. Nimis quippe amaram experireris, imò neque diu posses tanto in angore, atque luctu vitam producere. Sed nihilominus è re fuerit, ut affectus plerumque jucundos, & præsentis tui statui consentaneos in animo fovens, nè omittas interdum hos etiam excire, qui licèt sensu austeri, utiles tamen, imò etiam necessarii homini sunt, tum ad conservandum, augendûmque peccati odium, tum ad firmiores in Christiana humilitate mittendas radices: præterquam quòd, si ex puro DEI amore concipiantur; propria hujus dulcedo non exiguam mitigandæ eorum acerbitalis vim habeat. Cùm igitur juverit, exercere nonnunquam paulò impensius affectum

Atum tam salubrem, divinæque charitatis tam proprium; curæ tibi sit, primò considerare infinitum DEI meritum, ut plùs cæteris quibusque bonis ametur, summamque ejusdem injuriam, dum creato alicui bono per peccatum postponitur. Secundò revocare in memoriam, quàm sæpe hanc illi injuriam tu feceris. Tertiò ex summo erga ipsum amore actus pœnitentiæ hîc subjectos concipere: dolorem nempe acerrimum, quòd cum tuo infinite amabili Patre, atque Domino indignè adeò te gesseris: vehementissimum odium, horrorémque, & detestationem tuæ istius tantæ malitiæ, altissimam admirationem, quòdeò usque temeritatis, & vecordiæ progredi potueris: intimum pudorem tui ipsius, tanquam monstri fœdissimi, infandisque tot sceleribus summam apud omnes despicientiam, & abominationem promeriti: firmissimum postremò decretum, quidvis citiùs perpetiendi, quàm ut DEUM tuum, longè tibi rebus cæteris omnibus, téque ipso chariorem novo in posterum crimine offendas.

10. Quod si peculiarem aliquam, certisque expressam verbis prædictorum affectuum formulam habere præ manibus, atque oculis velles; hæc, quæ subsequitur, exemplo esse po-

poterit. O DEUS cordis mei, supreme rerum omnium Creator, & Domine, cui à rationalibus universis substantiis infinita reverentia, infinitusque amor debetur, DEUS inter omnia amabilia amabilissime, inter omnia bona optime, inter omnia pulchra pulcherrime, imò ipsamet pura, infinita, universalis amabilitas, bonitas, & pulchritudo: quemque indubitatissimè agnosco, amandum mihi esse, & amo re ipsa plus quocunque alio bono, plus divitiis, plus honore, plus voluptatibus, plus valetudine, plus scientiâ, plus lætitiâ, plus felicitate, plus meâ animâ, & toto me ipso; en provolutum ante tuos pedes homuncionem vilissimum, tuumque infimum servulum, qui, cum arctissimis mille nominibus deberet sese totum, suasque omnes tum corporis, tum animi facultates cultui tuo devovere, ausus est suavissimæ servitutis tuæ jugum rebeli cervice excutere, jussis tuis obsequium denegare, Majestatem tuam flocci facere, violare, indignissimis contumeliis afficere. En illum intolerabili pudore, & mentis confusione obrutum, quòd adversus te, amabilissimum suum Conditorum, & Dominum perfidè adeò, injuriosèque se gesserit. En, ut fronte humi dejecta, & voce singultibus

pus interrupta, reum se profitetur, veniamque illam petit, quàm offensis infinitæ malitiæ impetraturum se omnino diffideret, nec auderet postulare, nisi à Domino infinitæ clementiæ. Talis ergo cum tu sis, nè, obsecro, dedigneris, ab excelso suo folio humilissimas illius resipiscentis voces excipere. *Pater:* Ah quid dixi? Licebat sanè mihi olim per tuam benignitatem ità te alloqui, quamdiu obsequentis filii ritu in domo tua egi. Nunc verò, cum infanda perduellione omnem erga te reverentiam, & fidem exuerim, quam fronte usurpare titulos possim, usque adeò ab improbitate mea dissidentes? *Peccavi.* Heu verbum ferale, quod veneni instar labra mihi inficit, & in quo proferendo, extremum simul spiritum præ nimia doloris vi deberem profundere! Ità profectò: *Peccavi in cælum, & coram te.* Impius, sacrilegus, sexcentis mortibus dignus, amicitia tuæ nuntium contemptim remisi, sanctissimas tuas leges te præfente, & spectante proculcare níl timui, te summum, immensumque bonum, vilissimis bonis, imò futilibus boni umbris postposui, pro minimo habens, tibi ægre facere, dum homuncioni gregario, vel sordidæ cupiditati meæ obsecundarem. Breviter, contempsi,

C c c

of-

offendique te universitatis totius Rectorem, infinitæ majestatis Principem, interminatum totius bonitatis, & pulchritudinis pelagus, meum Conditorem, meum Dominum, meum principium, meum ultimum finem, meum DEUM, cujus placitum debuissim mundi totius, imò innumerabilium mundorum dominationi anteferre, & pro cuius honore vel millies, si usus ita ferret, vitam expendere. Heu, linquor animo ad tantæ indignationis memoriam: horrore congelati hærent sensus: vox, & spiritus deficit. Vix credibile existimo, potuisse mihi vel in mentem venire, ut tam execrabili injuria te læderem. At nimium quàm vera res est. Non modò in mentem mihi venit id agere, sed extrema insuper cum protervia, & vecordia peregi. Me miserum! & ubi tunc ratio mea fuit? Ubi mens? ubi consilium? ubi pudor? ubi sensus æquitatis? ubi insitum à natura recti, & pravi discrimen? Quænam phænensis excæcare in tantum me potuit, adeoque extra omnes officii limites transversum agere, ut, cum tu ex angusto supremæ potestatis tuæ folio jura universati dares, innumeris circumseptus beatorum spirituum agminibus, qui in contemplatione incomprehensibilium tuarum perfectionum

onum attoniti, & flagrantissimo tui amore succensi, nullum te adorandi, laudandique faciebant finem; ego punctum essentia, & vilis terræ vermiculus, ex natali meo luto superbum caput, & vesanæ libertatis cornua adversus te attollerem, protritisque tuis legibus, tibi meo, & universali omnium Domino, per intolerabilem contumaciam detrectarem subesse? Ah sub imo terræ centro sepeliri mallet, quàm in publica hominum luce tantæ infamiae reus apparere. Si egomet iudex causæ meæ essem, non possem non pronuntiare, æternos mihi inferorum cruciatus deberi, imò neque ipsos ad me pro merito puniendum sufficere. Mirari satis nequeo, quonam pacto res creatæ etiam sensu carentes post tam dirum scelus sustinuerint consuetis me officiis, & ministeriis fovere; neque omnes potius ad læsam procreatoris sui Majestatem vindicandam, monstrumque adeò detestabile è sui medio amoliendum, universali conjuratione insurrexerint. Sed quid porro? Eritne, ut iterum similia audeam? Ah citius quidquid est fulminum, in caput hoc cælum torqueat. Ah prius vivum adhuc, spirantemque absorbere terra occupet. Atque utinam fecisset ante illum funestissimum di-

em, quo juris, officiique omnis memor suave servitutis tuæ jugum perfregi, tuoque ceppi ab imperio desciscere. O diem tetrum! diem execrandum! diem luctûs, & funeris! qui in reliquos omnes vitæ dies perpetuam mihi flendi materiem præbebit! *Væ tempori illi, quando non amavi te. Dies ille vertatur in tenebras. Non requirat eum DEUS desuper, & non illustretur lumine. Occupet eum caligo, & involvatur amaritudine. Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.* (*Solil. S. Aug. c. 31. Job. c. 3.*) Quod ergo mihi superest tempus vivendi, tempus omne erit lugendi præteritam meam cæcitatem. *Quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die, ac nocte mea nunquam satis deploranda flagitia. Deploro illa, Domine, horreoque, & abominor super omnia, quæ horrore, & abominationi esse possunt: nihilque pœnalis mali sive in terris, sive in ipso cerebro est, quod tantum afferre ægritudinis meo animo queat; quantum affert meminisse, quod offenderim te, meum DEUM, meum amorem, meam vitam, meum summum, imò unicum bonum. Hæc recordatio, instar vermis illius, qui apud inferos nunquam moritur, meum perfidum cor, quamdiu vixero,*
ab.

abrodet. At tu infinitæ mansuetudinis DEUS, qui *non vis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat; per viscera misericordie tuæ, in quibus visitasti nos oriens ex alto, superioris meæ vitæ delictis propitius ignosce, præsentemque hanc voluntatem ea nunquam porrò repetendi immutabili firmitate corrobora, Quod longè optatissimum munus, uti summâ votorum instantiâ ab ineffabili bonitate tua flagito, & flagitare usque pergam; sic ab eadem me omnino impetraturum confido, Amen.*

CAPUT XXVIII.

Quanto odio, & horrore anima DEUM amans affici debeat erga quodvis peccatum lethale.

Lle idem DEI amor, qui hominem agit, ut plùs quàm de omni alio malo doleat, quòd ipsum omni alio bono sibi chariorem, graviter læserit; incitamento quoque illi est, ut supra omne aliud malum aversetur, & fugiat quamcunque ipsius gravem offensam, dicens cum Propheta: (Ps. 138.) *Nónne, qui*